IVLII CÆSARIS LAGALLÆ

DE COELO ANIMATO

DISPVTATIO.

LEONIS ALLATII

AMICI EX ANIMO

CARI

OPERA

PVBLICÆ VTILITATI PROCVRATA.

Typis VOEGELIANIS.

M. DC. XXII.

PHILOSOPHIÆ STVDIOSIS SALVTEM, ET BENE AGERE.

DISPVTATIONEM *hanc, mole quidem exiguam, sed rei de quâ agitur nobilitate et difficultate maximam, Auctor propediem cum aliis opusculis Philosophicis in lucem editurus adhuc continuit, expectato iudicio et censurâ virorum grauissimorum, et pientissimorum, sub quâ omnia prodibunt. Quia vèrò anno elapso in lucem prodiit Opusculum, quod affirmabat, Hanc sententiam quam Auctor tuetur, minùs esse tutam in verâ Philosophiâ: propterea quibusdam qui veritati student, visum fuit præsentem disputationem propalari, non expectatis aliis. In hac verò Auctor tantùm ex Aristotelis sententiâ tuetur,* Cœlos esse animatos

matos

matos animâ informante. *Quid autem sentiendum sit ex verâ Philosophiâ, et Sacræ Theologiæ Dogmatibus, nihil ipse decernere profitetur, sed Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ suam sententiam remittit: Cùm hucusque liberum sit, saluâ Fidei veritate vtramque sententiam teneri, tum affirmatiuam, tum negatiuam: quemadmodum docuit S. Thomas* 2. contra G. cap. 70. *et fusè declaratur in Quæstione.*

IVLII CÆSARIS LAGALLÆ DISPVTATIO DE COELO ANIMATO.

PROPONITVR indagandum, *An Cœlum sit animatum animâ, quæ verè dicitur, & constituit viuens*. quod non modò ad Aristotelis mentem quæritur, verùm etiam ex veræ Philosophiæ principiis, quæ Christianæ fidei non repugnant.

VIDETVR autem apparenti veritati magis consentanea pars negatiua: PRIMVM ex Aristotele, *Lib. 2. de Cælo part. 6.* in qua statuit, *Non esse rationabile, cœlum manere sempiterno tempore ab animâ: tunc enim talis anima minimè beatam sed valdè tristem vitam duceret, ac veluti Ixionis cuiusdam fatum sustineret.* Quo in loco apertè Platonis sententiam damnat, qui animatum cœlum asserit in Timæo.

PRÆTEREA hoc idem Aristoteles testatur, *Primo de Anima part. 49.* vbi aduersus eandem Platonis sententiam inquit, *Laboriosum esse ac fugiendum ani-*

mæ, eſſe commixtum cum corpore, & non poſſe ab ipſo abſolui: cuiusmodi eſſet anima cœli, quæ æterno tempore cum cœli corpore futura eſſet, neque ab ipſo abſolui poſſet, quamuis intellectiua: Melius autem eſt intellectui, non cum corpore eſſe.

ADHVC idem pariter confirmatur ex Ariſtotele. *8. Phys. part. 45. & infra.* vbi ex motus æternitate, & continuitate deducit, *Neceſſarium eſſe, perpetuum aliquem primum mouentem dari immobilem*: quem eodem *Lib. part. 78. & 79.* ſtatuit *eſſe omninò abiunctum, & ſeparatum à materia*. Necnon etiam ex eodem, *in 12. Metaphys. part. 43.* vbi *ex numero Orbium, numerum arguit Intelligentiarum*. Quibus ex locis ita arguo.

SI cœlum eſſet animatum, diminutè Philoſophus ex motu ad Intelligentias deueniret, & ad earum numerum, tamquam ad numerum motorum: cùm non tantùm Intelligentiæ ſint motrices orbium, ſed adhuc ſtatuendum ſit de alio motore, de quo magis ad Phyſicam pertinet, hoc eſt, de Anima quæ quidem à conſtitutis Intelligentiis omninò differt: cùm Anima ſit actus corporis, Intelligentiæ autem ab omni corpore ſeiungantur.

EX QVO pariter tale deducitur argumentum. Omnis anima eſt actus corporis organici. Sed cœlum non eſt corpus organicum, vt patet ex Philoſopho *2. de Cœlo partic. 50.* vbi *cœlo & aſtris denegat motum progreſſiuum, quia carent organis*. Ergo cœlum non eſt animatum.

AMPLIVS. Si cœlum animâ eſſet præditum, nulla alia foret niſi intellectiua. Vegetatiuâ namque, atque

atque ſenſitiuâ , nequaquam animatum eſſe poteſt: cùm principium ſint augmentationis, diminutionis, & alterationis: *Quorum eſſe expers cœleſte corpus*, Ariſtoteles demonſtrauit. Harum autem gratiâ, intellectus, qui cum prædictis potentiis eſt coniunctus, corpore indiget. *Sui etenim ratione, intellectus, & intellectiua anima, corpore non indiget*, vt patet *3. de Anim. partic. 6.* Quinimo *melius eſt illi, eſſe ſine corpore quàm cum corpore*, vt ſupra diximus *ex primo de Anim. part. 49.* Ergo fruſtra cœlum eſt animatum.

PRÆTEREA. Si cœlum eſſet animatum animâ verè dictâ, quæ forma eſt, & tribuit eſſe, compoſitum eſſet ex materia & forma: cuius contrarium ſupponimus. Quinimò corruptibile eſſet: quia componeretur ex ſubiecto, quod habet potentiam ad eſſe & ex anima, quæ tribuit eſſe: et ita corruptibile eſſet corpus: *Cùm omne quod habet potentiam ad eſſe, habeat potentiam ad non eſſe, ex Ariſt. 9. Metaph. part. 13*: Et nullum quod eſt poſſibile ſit neceſſarium: *Cùm ipſi poſſibile eſſe, opponatur ex diametro, atque contradictoriè, neceſſarium eſſe, & impoſſibile non eſſe*, vt patet *ex 2. Peri Herm.*

PRÆTEREA. Si cœlum eſſet animatum, eſſet corruptibile. Probatur conſequens: Quia moueretur per accidens à ſe. *quod non competit, niſi corruptibilibus, ex Ariſtotel. 8. Phys. part. 52.* Probatur autem, *quòd moueretur per accidens à ſe*; quia moueretur ab animâ: quæ cùm ſit virtus in corpore, neceſse eſt, vt moueatur ad motum corporis, quod eſt *moueri per accidens à ſe*.

PRÆTEREA. Si anima eſt in cœlo, aut vt mo-

tiua, aut vt intellectiua in ipso erit. Vtroque modo accipiatur, impossibile erit, & superfluum, illam statuere. Ergo. *Primò, Impossibile est:* quia si anima esset in cœlo, vt principium motiuum, tunc cœlum non peremniter moueretur, contra Aristotelis sententiam. Probatur sequela: quia anima, cùm sit actus corporis, est virtus in materia, & ex consequenti finita; quare finito tempore moueret, *vt ex Lib. 8. Physicor.* Neque valet responsio Auicennæ, *Quod habet peremnitatem sit motus ab Intelligentia*: quia tunc aliquod corpus ex se corruptibile, posset ab alio esse perpetuum: cuius contrarium, demonstrauit Philosophus *Primo de Cœlo*, et optimè statutum est ab Auerroe contra Auicennam *12. Metaph. 41.* *Superfluum etiam est.* Nam si anima est in cœlo, cùm ea sit intellectus, ex consequenti erit immaterialis, immixta, indiuisibilis, & intelligens, atque omninò forma abstracta. Substantia autem cui tales conditiones competunt, est mens, & intelligentia, *vt patet ex Aristotele. 12. Metaph.* Ergo duæ erunt Intelligentiæ in cœlo, quarum necesse est alteram esse superfluam. HÆC tamquam potiora allata sint ad monstrandum, *Cœlum, ex Aristotelis principiis & doctrinâ, minimè animatum esse posse.*

HIS ETIAM accedit auctoritas Sanctorum Patrum, & ratio Sacræ Theologiæ consentiens, *Quam normam esse & regulam veræ Philosophiæ*, constanter credimus. Ex Patribus enim Basilius, & Damascenus, quos nunc ferè communis Theologiæ schola sequitur, statuunt, *Nequaquam cœlum esse animatum.* Quod ratione etiam confirmatur.

NAM SI cœlum eſſet animatum, tunc eius anima aliquando libera fuit, vel nunc etiam eſſet libera ad peccandum. Vt verbi gratiâ, Anima cœli Empyræi, quæ eſt ſedes Beatorum, aliquando potuit peccare, vel nunc etiam peccare poteſt, ſi eſt viatrix. Ergo poteſt mori, & aliquando morietur, cùm pœna peccati ſit mors: ac pariter poteſt detrudi in infernum, vel aliquando detrudetur, vt in die Iudicii: & tunc cœlum Empyræum ſuâ animâ priuatum morietur, & corruet: atque ſedes Beatorum erit pœnis inferni cruciata, & ſocietatis rebellium Angelorum conſors. Quæ omnia, tamquam impoſſibilia, & abſurdiſſima, explodenda ſunt & damnanda.

PRÆTEREA. Si huiuſcemodi anima cœlorum meruit, vel merebitur æternam gloriam, tunc erit capax & conſors beatitudinis. Cuius contrarium ſtatuerunt Sancti Patres, qui tradunt, *Societatem Sanctorum, ex Hominibus, & Angelis constare*.

AD HÆC quæ recitata ſunt argumenta, referuntur omnia ea, quæ allata fuerunt in Diſputatione à R^{mo}. Dn. meo Dn. Franciſco Diotalleuio, ſingularis doctrinæ viro, atque eximio tum Philoſopho tum Theologo, necnon etiam Vtriusque Iuris conſultiſſimo, præter auctoritates initio citatas, ex Capreolo, & communi ferè Scholaſticorum ſententiâ, qui ſtatuunt, *Cœlum non eſſe animatum*: necnon etiam ex Irenæo, *Qui hanc opinionem de cœlo animato inter hæreſes recenſet*: & ex Canone quintæ Synodi generalis Conſtantinopolitanæ, quem recitat Nicephorus Caliſtus; ac potiſſimùm ex Auguſtino, *Lib. p^{ro}. Retract.*

cap. 5. & ex eodem, Lib. 2. cap. 7. Et PRIMO argumentum ex vniuersalis Ecclesiæ inuocatione. Si enim anima cœli esset beata, tunc inuocaretur ab Ecclesiâ in precibus, cum cæteris sanctis. SECVNDO. Si talis anima esset beata, tunc post diem Iudicii, quando cessabit motus cœlorum, transferenda esset in cœlum Empyræum. Quòd si anima transferretur, transferretur etiam corpus: quia veluti corpus simul cum anima coniunctum meruit, ita pariter cum anima beatitudine frui debet in illa beatorum sede. Hoc autem absurdum est, neque etiam concessum fingere, quòd tam ingentes cœlorum machinæ in cœlum Empyræum transferantur. PRÆTEREA. In die Iudicii, cœli conflagrabunt, & ardentes soluentur, *vt Petri 2. Epist. cap. 3.* Ergo huiusmodi anima, tunc temporis tormentum patietur. Quod absurdum erit dicere, si talis anima sit beata. PRÆTEREA. Si anima cœli sit beata, tunc sidera, tamquam corporis beati partes, adoranda essent, quemadmodum adorantur Sanctorum Reliquiæ. Contrarium tamen statuit Scriptura, quæ Solem ac Lunam, & cætera sidera, prohibet adorari.

OMITTO cætera argumenta ex Philosophia, quæ idem R^dmus. Dn. attulit, cùm eadem prorsus fuerint, & coincidant cum iis, quæ à nobis initio allata sunt.

OPPO-

OPPOSITVM tamen ex Peripatetica doctrina est statuendum. Nec minùs ex veræ Philosophiæ principiis nobis suffragatur ratio, quæ Sanctorum Patrum decretis, & Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, firmiter hæret.

PRIMVM autem, quid mihi sentiendum proponam, dilucidè explicandum censeo; vt citra controuersiam, & latibula, apertus locus maneat veritati.

MEA sententia est, quam tuendam suscipio, & insuper demonstrandam ex Peripateticâ doctrinâ: *Quòd cœlum simplicissimum corpus existens, ac omnis expers compositionis, quæ sit ex partibus Essentialibus appellatis, Materia scilicet et Forma, animatum sit; Animâ, quæ verè dicitur anima, ita vt cœlum constituat in vero, ac certo ordine viuentium naturalium, Intelligentium scilicet, Appetentium, atque se loco mouentium.*

HOC AVTEM Theorema, quoad partem, quæ supponitur, clarum esse existimo ex Aristot. *9. Metaph. part. 17.* vt supra pariter suppositum, & probatum fuit, *in argumento Sexto.* Quod verò ad secundam partem, cuius demonstrationi incumbimus, supponenda sunt aliqua. PRIMVM verò ex Aristot. *8. Phys. part. 78. & 79. 80. & 81. necnon etiam 12. Metaph. part. 41.* Quòd virtus, quæ est in quanto non potest mouere tempore infinito. Quare cùm Intelligentia moueat tempore infinito, non erit virtus in quanto; non modò Intelligentia prima & primum mouens, *vt 8. Physic. Cap. vltimo demonstratur*, verùm etiam quælibet alia Intelligentia, *vt 12. Metaph. part. 43.* SECVNDVM verò, Quòd in cœlo est aliqua virtus Motiua, quæ est in quan-

quanto, et adæquatur quanto atq; ex conſequenti dicitur virtus finita. Quod probatur ex Ariſt. *2. de Cœlo par. 71.* ex diuiſione Auerrois. Vbi reddens cauſas Philoſophus, *Cur in orbibus inferioribus, non ſint plures ſtellæ, cùm in primo orbe ingens ſit illarum numerus*, inquit, *Hoc prouenire ex virtute motiuâ cœli, quæ eſt finita, & commenſurata mobili.* Hæc autem ſunt eius verba: *Omnis autem finiti corporis ad finitum potentia eſt.* Quæ ab omnibus expoſitoribus, non ſolùm à Philopono contra Proclum, qui cœlum corruptibile ſtatuit, verùm etiam ab Alexandro, Simplicio, Auerroë, Sancto Thoma, & cæteris omnibus, ita explicantur, vt ſtatuant finitam cœli virtutem motiuam adæquatam quanto. His ita ſuppoſitis tali pacto arguo.

Nulla virtus quæ mouet tempore infinito eſt finita.

Omnis intelligentia mouet tempore infinito.

Ergo nulla intelligentia eſt virtus finita.

Sed in Cœlo eſt aliqua virtus motrix finita, & in quanto: vt patet ex ſupra citatis verbis Ariſtotelis 2. Cœli part. 31.

Ergo in Cœlo eſt aliqua virtus motiua præter Intelligentiam.

Hæc autem virtus motiua, cùm non poſſit eſſe niſi anima, & hæc intelligens, inde ſequitur, *Quòd in Cœlo ſit anima intellectiua, & Cœlum ſit animatum.*

Quòd autem hæc virtus motiua non poſſit eſſe niſi anima, probatur inductione. Nam tale principium motus effectiuum, aut eſt natura, aut eſt anima. In cœlo non poteſt eſſe natura, vt natura dicit quid diſtinctum à materia: cùm cœlum ſit ſimpliciſſimum

cor-

corpus & talis compositionis expers, vt supra probatum fuit. Reliquum igitur est, vt principium talis motus sit anima, & anima intellectiua: cùm cœlum, non nisi talis animæ compos esse possit.

HVIC argumento clarissima accedit Aristotelis doctrina *12. Metaph. part. 36*. Vbi docens, *Quomodo Intelligentiæ moueant orbes*, inquit: *Mouet autem hoc modo; Concupiscibile, & Intelligibile mouet, non motum. &c.* Quibus ex verbis hoc desumitur argumentum:

Intelligibile non mouet nisi intellectum, vel intellectu præditum.

Sed Intelligentiæ mouent orbes, quatenus Intelligibile quoddam sunt.

Ergo Intelligentiæ mouent orbes, vt intellectus sunt, vel præditi intellectu.

HOC præterea confirmatur non minùs validâ ratione, ex eo petitâ, *Quòd si Orbes non essent animati, tunc mouerentur à primo orbe, vt vulgo dicitur* MOTV RAPTVS, *nempè per contactum*: cùm talis motus, sit motus à corpore: & ex consequenti, vel per pulsionem, vel per tractionem, vel vtroque modo, *vt 8. Phys. part. 85.* quorum quilibet motus profectò violentus est, & cœlo minimè congruens.

NEQVE VERO hæc argumenta labefactantur iis, quæ quispiam afferre posset. Et primò aduersus primum, *Quòd finita virtus duplici pacto sumitur; vno scilicet extensiuè, altero intensiuè.* Cùm igitur Philosophus inquit *2. de Cælo 71. quòd sit in eo virtus finita*, intelligendum esse *Intensiuè, & facultate*: cùm nulla vir-

tus infinita à naturali Philoſopho ſupponatur, ſiuè in quanto, ſiuè extra quantum exiſtens: *Non autem extenſiuè atque duratione*. Manifeſtè etenim redarguitur hæc reſponſio ex demonſtratione Ariſtotelis *8. Phys. cap. vltimo*. Vbi non ex motus infinitate *Intenſiua*, ſed *Extenſiua tantùm*, id eſt, ex eius æternitate, arguit motorem à materia ſeiunctum & ſeparatum. Qui profectò demonſtrandi modus inanis eſſet, ſi virtus aliqua motiua, in materiâ exiſtens, poſſet in infinitum extendere actionem ſuam: vt in diſtinctione ſupponitur. Et quamuis videatur Auerroës fuiſſe auctor huius diſtinctionis *2. de Cœlo commento. 71. & Lib. de Subſt. Orbis cap. 3.* tamen longè diuerſus eſt eius ſenſus ab eo, qui eſt allatus. Auerroës enim, vt reſponderet Philopono arguenti, *Cœlum eſſe corruptibile ex eo quòd habeat virtutem finitam*, attulit diſtinctionem hanc, & ſtatuit, *Quòd corpus cœleſte habet motum terminatum in velocitate, & non poteſt mouere, neque tardius, neque velocius: et iuxta hoc, dicitur habere virtutem finitam: Sed habet actionem, et paßionem æternam, hoc eſt vt moueatur, & moueat ſemper, ex eo quòd non habet formam materialem.* Quorum verborum ſenſus eſt: Quòd quamuis cœli virtus motiua, cùm ſit in quanto, ſit finita, & ex conſequenti poſſit deficere, vt eſt quanto terminato commenſurata; quia tamen eſt in tali quanto, à quo non dependet in eſſe, quemadmodum formæ materiales, & corruptibiles pendent à materia; propterea numquam deficiet eſſe.

Neqve magis ſecundo argumento reſpondetur ex illorum ſententiâ, qui cœlum componunt ex Intelligentia, & Orbe: ſiuè Intelligentia ſit forma aſſi-

ſtens

ſtens tantùm, vt multis placuit; ſiuè potiùs, vt dicunt informans, vt Achillino, & aliis quamplurimis recentioribus arridet. PRIMVM namq; contra vtramque ſententiam eſt, quòd Ariſtoteles de omni Intelligentia, & non magis de prima quàm de cæteris ſtatuit, *Quòd moueant, tamquam concupiſcibile, & intelligibile. 12. Metaph. part. 36.* NEC mirum eſt, quòd in numero ſingulari loquatur. Tunc enim in vniuerſum de omni ſubſtantia à materia ſeiuncta, quæ actus eſt, demonſtratio ab Ariſtotele allata fuit & ſermo habitus: necdum de illarum numero, ſi vna vel plures eſſent, ſtatutum fuerat: vt ex ſequentibus liquidò apparet. A particulâ enim 42. infra, hoc indagandum proponit. Quod præterea confirmatur: Quia ſi omnis motor à materia ſeiunctus, eſt mouens immobile, *vt 8. Phys. vltimo.* et omnis Intelligentia eſt à materiâ ſeiuncta, *vt 12. Metaph. 41.* Ergo omnis Intelligentia, eſt mouens immobile. Quare concluditur, Quòd illud moueri à concupiſcibili & intelligibili, nullo modo competit Orbi cum Intelligentiâ aggregato. Ita enim Intelligentia moueret, tamquam mouens motum ab intelligibili & appetibili.

Sigillatim verò contra primam ſententiam dicitur: Quòd ſi Intelligentia eſſet forma aſſiſtens vt nauta naui, tunc non poſſet dici, quòd prima Intelligentia moueret orbes vt intelligibile: quia ex Intelligentia, et Orbe, non conſtitueretur vnum per ſe. Et veluti non eſt dicendum, Quòd Lucrum mouet nauim, niſi valdè remotè, & impropriè, quia mouet nautam: ita neque, Quòd Deſiderabile, & Intelligibile, mouet Cœlum.

AT VERO contra ſecundam maius torquemus argumentum. Si enim intelligentia eſt forma non ſolùm aſſiſtens, ſed informans, vt Achillino, & aliis quàm plurimis placuit; tunc erit virtus in quanto, atque commenſurata quanto, ſi non ſecundùm eſſe (quod eſt corruptibilium formarum) ſaltem ſecundùm facultatem mouendi: et tunc ſequentur abſurda ab Ariſtotelè demonſtrata *8. Phys. cap. vltimo.* Aut enim erit virtus finita, aut infinita in quanto finito. Si erit virtus finita, tunc non poterit mouere tempore infinito. Si virtus infinita, tunc mouebit in non tempore. MANENT itaque in ſuo robore duo prima argumenta.

CONTRA tertium neſcio quam afferre poſſint reſponſionem, niſi ex proximè dictis petitam: quæ cùm (ni fallor) ſint impugnata, nullius profectò momenti erunt.

HANC ſententiam, quam tuemur, etiam ni fallor PHYSICE demonſtrauimus. Dico autem PHYSICE, hoc eſt, ex Naturalis Philoſophiæ principiis; non ſolùm ex Ariſtotelis doctrinâ. Nam primum argumentum à nobis allatum, demonſtratiuum eſt, ſi ea examinentur, quæ Ariſtoteles *8. Phys.* demonſtrauit de primo motore à materiâ prorſus abſtracto & ſeiuncto; necnon ſi cum iiſdem ea copulentur, quæ *12. Metaph. quadrageſima prima particulâ* de Cœli motoribus docuit.

QVOD verò deinceps aſſumptum eſt in ſecundo argumento, *Nempe quòd in Cœlo ſit aliqua virtus motiua finita, & quanto adæquata*: quamuis ſuprà Ariſtotelis authoritate, *2. de Cœlo parti. 71.* à nobis ſtatutum fuerit,

rit, tamen nunc iterum demonstratiuâ ratione simpliciter confirmatur tali pacto. Cœlum mouetur in tempore, imò tempus nihil aliud est quàm mensura motus cœli, ita vt sit potiùs mensura mensurata, quàm mensurans. Ergò in cœlo est aliqua virtus finita, quæ ipsum mouet. Probatur sequela: Quia si cœlum mouetur in tempore, aut mouetur à virtute finitâ, aut virtute infinitâ. *Non à virtute infinita:* quia talis virtus, cùm in infinitum excedat resistentiam mobilis, mouebit in instanti. Ergò necesse est, vt cœlum moueatur *à virtute finitâ*, quæ commensurationem habeat cum resistentiâ mobilis; ex quâ commensuratione, tota ratio temporum pendeat & oriatur.

SED ALIQVIS fortasse dicet, *Hoc Argumentum valenter concludere tantùm aduersus eos, qui opinentur cœlum moueri à causa necessaria, non autem à voluntaria.* Hæc responsio prorsus inanis est, et hominis minùs in Philosophiâ versati. Supponit enim hæc responsio, cœlum posse moueri ab Intelligentia, tamquam si moueatur rota à figulo; quæ cùm nullam propensionem habeat ad eum motum, quem habet à figulo, nisi illam quam ex rotunditate habet, vt circulariter moueatur, prorsus violentè à figulo mouetur, & ab extrinseco. At cœlum ipsum cùm naturaliter moueatur, & primum ac maximè naturale corpus existat, non ita se habet ad motorem, vt rota ad figulum: sed propensionem habet naturalem ad eum motum, quo à motore mouetur, ita vt neque merè voluntariè à suo motore moueatur, quemadmodum neque merè naturaliter: cùm eius motor ex cognitione, &

appetitu moueat: ſed non abſque impetu naturali; quemadmodum & de motu animalium conſtat. qui quamuis ab appetitu ſit, ſiuè rationali, ſiuè irrationali, tamen naturalis etiam eſt, & non abſque propenſione corporis: quidquid ſit de humanæ voluntatis imperio, cuius eſt obſequentem ſibi reddere irrationalem appetitum, vel habitu virtutum domitum, vel ſuperiore auxilio adiuuante.

HANC ſententiam Ariſtoteles ipſe multis in locis diſertis verbis teſtatam reliquit. Ac primùm *Secundo de Anima part. 15. ex Auerrois ſectione.* Quo in loco ordinem potentiarum animæ recenſens, ſtatuit, *Vegetalem ſeparari poſſe à cæteris poſterioribus, Senſitiuâ ſcilicet & Intellectiuâ; cæteras autem ab hoc, ſcilicet Vegetatiuo, impoßibile in mortalibus.* Ex quo ſtatuit, *Intellectiuum, in corporibus immortalibus tamquam animæ potentiam eſſe ſine Vegetatiuo.* Sed nullum aliud ſtatuit Ariſtoteles corpus immortale, niſi Cœlum. Ergo in Cœlo eſt facultas Intellectiua, tamen ſine cæteris facultatibus, quæ ſunt in ipſis mortalibus.

HIC vnam video reſponſionem afferri poſſe: *Nempè quòd Ariſtoteles hoc loco ex Platonis ſententiâ locutus fuerit; qui exiſtimauit Dæmones animalia intellectu prædita, & immortalia, necnon ex conſequenti vegetatiuæ expertia.* Cui reſponſioni fauent ea quæ Ariſtoteles habet in littera: vbi cùm ſtatuiſſet tres animæ præcipuos gradus, vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum, tandem inquit, *Vegetatiuum ſine cæteris eſſe poſſe, cæteros autem gradus ſine his nequaquam, in mortalibus.* Deducitur ergò, Quòd in immortalibus cæteræ præter

vege-

vegetatiuam esse possunt, hoc est, sensitiua, & intellectiua. Cùm verò in cœlo nec sit, nec esse possit sensitiua. Ergò de corporibus cœlestibus nullo pacto dicendum est Aristotelem hîc locutum fuisse, sed potiùs ad mentem Platonis de Dæmonibus; quos cùm animalia dixerit Plato, non mirum, si sensu & intellectu præditos esse absque vegetatiuâ, hîc Aristoteles retulit. QVÆ responsio minimè iis de quib. agitur est consentanea. Aristoteles etenim non ex alienâ, sed ex propriâ sententiâ loquitur, vt legenti patet: eò magis, quòd Platonis, & aliorum antiquorum sententias *Primo Libro* recensuerat: Neque vllibi Dæmones admittit: Quinimo *3. de Anim. capite vltimo, Nulla animalia ex simplicibus elementis, siuè ex vnico elemento, constare posse*, demonstrat contra Platonicorum sententiam, qui Dæmones igneos, aut aëreos, aut ex alio quolibet vno elemento, constare existimarunt. NEC suffragatur illis, quod subdit in numero plurali: *Alia autem ab hoc impossibile*. Nam ex numero plurali non designauit sensitiuum, & intellectiuum, vt suppositum est: sed intellectiuum, appetitiuum, & loco motiuum; quæ sunt in Cœlo absque vegetatiuo. Quòd si absq; vegetatiuo; sequitur etiam, quòd absque sensitiuo. Omne enim quod est expers augmentationis, & diminutionis, est expers alterationis, sine quâ sensus non est.

QVAM pariter doctrinam manifestè colligimus ex eodem Aristotele *infra par. 29*. Vbi cùm statuisset, *Omnibus animalibus, & habentibus tactum, appetitum inesse necessariâ quadam consecutione*; de Imaginatiuâ facultate inde-

indeciſum reliquit, tãquam poſteriùs determinandum. Ac tandem de cæteris facultatibus inquit, *Eas non omnibus, ſed quibusdam ineſſe, vt ſecundum locum motiuum*: quod non ineſſe niſi animalibus perfectis, poſtea declarauit. Deinceps verò ſubdit: *Aliis autem ineſt Cogitatiuum, & Intellectus, vt hominibus, & ſi quid aliud huiusmodi eſt, aut etiam honorabilius*. Quo in loco ſtatuit, *Cogitatiuum & Intellectiuum*: Cogitatiuum ſcilicet, quo determinentur homines; Intellectiuum verò, quo determinentur Cœli, tamquam magis honorabilia animata.

SED clariſſimè *Lib. 3. de Cœlo par. 13.* inquit: *Cœlum autem animatum eſt, & habet motus principium.* Neque dicendum, quòd Metaphoricè ibi cœlum animatum dicat. Omnem enim ſuſpicionem huius Metaphoræ Ariſtoteles tollit, dum illud probat, *Verè, & non reſpectu noſtri, habere omnem poſitionis animatæ differentiam; extrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum, antrorſum, et retrorſum.*

NVLLVM verò magis certum ſuæ ſententiæ teſtimonium in re propoſitâ Ariſtoteles præbere potuit eo quod *2. de Cœlo part. 61. ex Auerrois ſectione* decreuit. Cùm enim duas propoſuiſſet paulò ante difficultates: Vnam, *Quarenam Orbes primò viciniores, paucioribus lationibus non ferantur, cùm primus orbis vnico tantùm motu moueatur; remotiores autem pluribus; cuiusmodi ſunt Solis, & Lunæ; quos tamen paucis motibus moueri compertum eſt?* Alteram verò, *Cur tot Aſtris primam Sphæram præditam conſpiciamus, ita vt eorum cœtus ex innumerabilibus videatur, reliquas autem vnico tantum?* Primæ occurrens re-

respondet: Ob hoc nobis de cœlestium orbium variis motibus difficultatem penè insolubilem esse, eò quia nos de ipsis Orbibus, tamquam inanimatis corporibus, coniectamus. Oportet autem ea, tamquam si animata essent, & viuentia, intelligere. Hæc sunt præcisè Aristotelis verba: *Sed nos de ipsis, vt corporibus solùm, et vnitatibus ordinem quendam habentibus, inanimatis autem, omnino cogitamus. Oportet autem, ac si participarent actione & vitâ, existimare. Sic enim nihil esse videbitur præter rationem, quod accidit.* Quibus verbis nihil clarius ad hanc opinionem confirmandam, quòd Aristoteles putauerit, *Cœlum esse animatum.*

VERVM quia scio eos, qui in oppositâ sunt sententiâ, hæc verba interpretari veluti Metaphoricè ab Aristotele dicta (Ita enim Cœlum esse animatum dicunt. Et eis videtur suffragari particula addita, TAMQVAM. Inquit enim Philosophus: *Oportet autem,* TAMQVAM *si participarent actione & vitâ, existimare:*) propterea admonendum censui, quòd Aristoteles progressu sermonis has omnes ambages sustulit, & *Cœlum verè esse animatum* docuit: dum dixit in solutione propositæ difficultatis, *Cœlum vitali operatione præditum, & propriâ actione:* quæ est Practici intellectus operatio, ad finem directa; cuiusmodi est operatio cœlestis animæ, dum Cœlum mouet.

HANC ipsam fuisse Aristotelis sententiam, omnes ferè, aut saltem antiquissimi, & primarii Aristotelis Interpretes testantur. Alexander ille Aphrodisæus, referente Simplicio *8. Phys. 31. & 52. et 2. de Cœlo commento, 3.* Et idem Simplicius eisdem locis; et The-

mistius, Auerroë referente *12. Metaph. commento 41.* & Auicenna *9 suæ Metaph. cap. 3. & 4.* & Auerroes *12. Metaph. 41. & 36. & 2. de Cælo 3. & 13. & 61. commentis. & de Substantia Orbis cap. 3. ac multis aliis in locis*: & S. Thomas *2. contra G. cap. 70. & Q. vnic. de Anim. art. 8. & 2. de Cælo super part. 13. & super part. 20.* Quamquam non ignorem, alios minoris famæ existimasse, *Nullam aliam in Cælo esse animam præter Intelligentiam*: et alios quidem putasse, *Intelligentias esse animas præbentes operationem tantùm, & vt aiunt assistentes*; alios autem, *etiam tribuentes esse, et informantes.*

VT VERÒ hanc meam ex Aristotelis principiis sententiam magis apertam atque dilucidatam exponam, hæc prædictis adjicienda puto.

PRIMVM, quod suppositum est et probatum, *Cælum esse corpus omninò simplicissimum, quod nullo modo constet ex substantiâ, potentiâ, & actu, sed sui naturâ ipsummet sit corpus actu: Hoc autem veluti caret potentiâ ad esse, ita habere potentiam ad vbi: Ac propterea veluti nullam admittit formam, quæ tribuat esse simpliciter, ita admittere formam, quæ tribuat tale esse, scilicet animatum ad operationes vitales; practicam nempè intellectionem, & motum.* Hoc autem corpus, quamuis simplicissimum dictum sit præ tali compositione quam exclusimus; tamen instrumentale esse, certissimum est. Non solùm enim stellas habet variis magnitudinibus ac figuris præditas, verùm etiam multiplicem Orbium structuram: quam ex multiplici motu statuere necessarium est, ita vt imaginarias etiam partes illis liceat assignare; Epicyclos

Eccen-

Eccentricos, Deferentes, & alios huiusmodi circulos; vt motuum ratio constet, retrogradi, directi, stationarii; & propinquitatis vel distantiæ positio, dum in auge, vel eius opposito, Astrum visum fuerit. Quæ quamuis rationi sint minùs consentanea, tamen admittimus: quia, vt Philosophus dixit loco superiùs adducto *2. de Cælo text. 61. De ipsis Orbibus, tanquam de inanimatis corporibus, & magnitudinibus, existimamus.* Quòd si illos tanquàm animatos & vitali actione prædítos cognoscere-mus, omnium protinus motuum ratio nobis constaret; quorum nulla apparet regula, vt ex tot variis & absurdis Cœlorum Systematibus cognoscitur.

EX HIS verò deducimus PRIMO: *Cælum vnumquodque habere Naturam; prout tamen Natura dicit principium passiuum, quod non distinguitur à subiecto ipsius Cæli, siuè Orbe. Hoc enim dicimus subiectum: Simplic. 2 de Cælo com. 3. & 2. Phys.* Hoc verò principium cœli motus dicitur naturalis, quamuis sit ab animâ effectiuè. Ac propter eà anima cœli non laborat, neque defatigatur mouendo cœlum. Mouet enim anima cœli corpus quod non habet repugnantiam ad suam operationem; vt mouet anima corruptibilium: sed quod habet naturalem propensionem ad motum, quo mouetur ab Animâ. Hoc autem significatum fuit ab Aristotele *2. de Cælo part. 6.*

SECVNDO deducimus: *Vnumquemque Orbem habere propriam Animam intellectiuam, appetitiuam, & loco motiuam; quæ sit adæquata corpori vniuscuiusque Orbis; aut secundùm substantiam, & tanquam Entelechiam, vt visum*

est Alexandro; vel secundùm virtutem motiuam, quod verius existimo: et ab hac animâ moueri vnumquemque Orbem motibus proprius.

TERTIO deducimus: *In vnoquoque Orbe dari propriam Intelligentiam, iuxta numerum Orbium, vt 12. Metaph. Aristoteles statuit: Has verò Intelligentias esse motores omninò separatos, & abiunctos à materia: & mouere in genere causæ finalis, tanquàm concupiscibile, & intelligibile, hoc est tanquàm bonum: Vnaquæque enim Intelligentia est bonum vniuscuiusque Animæ Orbium.* Quamuis autem vnaquæque Intelligentia sit purus actus, vt purus actus excludit omnem admixtionem potentiæ positiuæ: tamen respectu Primæ Intelligentiæ, reliquæ omnes dicuntur habere potentiam priuatiuam; quia deficiunt à perfectione primæ: vt docuit Auerroes *3. de Anim. com. 5.* Quapropter omnes ordinantur ad Primam, tanquàm ad summum bonum. Ita vt veluti prima, quæ est summum bonum, & maxime communicabile, vult conseruationem Vniuersi (cuius voluntati, tanquàm summo bono, cupiens assimilari & copulari Anima primi Orbis, mouet illum simplicissimo, ac perpetuo diurno motu) itá cæteræ Intelligentiæ, quæ bonitatem Primæ sequuntur, mouent eodem motu cæteros Orbes; dùm Animæ eorundem Orbium, intelligentes bonum suarum Intelligentiarum, pariter eodem motu diurno, cum primi Orbis animâ, suos etiam Orbes mouent. Et hoc est quod dicitur ab Auerroe, *12. Metaph. 41: Quòd virtus finita, quæ est in Cælo, largitur ei motum finitum: Infinitas autem siuè perennitas motus tribuitur ei ab Intelligentiâ.* ITA autem Intelligentias mouere Orbes in ge-

in genere causæ finalis existimamus, vt concurrere etiam possint ad motum, tanquàm causæ efficientes. Siquidem in abstractis à materiâ idem est quod mouet vt finis, & vt efficiens: *vt Auerr. 12. Metaph. 36. & Lib. de Substantia Orb. testatur.* NEQVE tamen propterea Anima in Orbe erit superfluus motor: cùm in diuerso genere causandi vtrumque moueat: nempè Anima vt forma, & quid intrinsecum; Intelligentia autem, vt finis & efficiens.

HÆC ad Aristotelis mentem, & ex Peripateticorum dogmatibus, dicta sint. NVNC mihi simpliciter ex veræ Philosophiæ principiis hæc eadem paucis sunt confirmanda.

LICEBIT autem mihi in hoc campo liberiùs diuersari, quandò siuè hanc siuè oppositam tueri velim sententiam, nullo modo Sacris libris, siuè Veteris siuè Noui Testamenti, potero aduersari; vt Augustinus docuit *2. de Genesi ad literam Cap. vltimo.* Quinimò cùm quamplures ex primoribus Sacris Patribus, huius dogmatis fautores & assertores habeam, audacter illam tueri minimè dubitabo; recenti potissimùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate confirmatus: quâ non multis iam præteritis annis, à Sanctæ Inquisitionis Præpositis Cardinalibus & Consultoribus decretum fuit, *Liberum esse vnicuique, absque vllâ erroris suspicione hanc sententiam tueri; potissimùm Sancto Thoma id confirmante 2. contrà Gen. cap. 70* Quod decretum tunc temporis ab Illmo. Carde. Sanctæ Seuerinæ, Congregationis Sancti Officii Præside, viro doctissimo atque religio-

ſiſſimo, cum apud ipſum degerem, accẽpi. His igitur inhærens, ac demum tùm in hac, tum in qualibet aliâ meâ ſententiâ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio atque cenſuræ me ſubiiciens & ſupponens; propoſitam, & ſuprà ex Ariſtotele probatam Concluſionem, aliquot argumentis aggrediar confirmare.

Et Primo. Perfectiſſimo corpori omnes perfectiones tribui debent, quæ illi non repugnent. Sed Cœlum eſt perfectiſſimum corpus, vt clarum eſt. Ergo Cœlo aſſignari debent omnes perfectiones, quæ illi non repugnent. Sed illi non repugnat eſſe animatum; quod eſt maxima perfectio. Ergò Cœlo debet tribui, quòd ſit animatum. Probatur Aſſumptum: Quia Cœlo nullum deficit requiſitum, vt ſit ſubiectum animæ. Cùm enim duo ſint requiſita, *Eſſe Phyſicum, & Organicum corpus*: vtrumque in cœlo reperitur, vt ſuprà monſtratum fuit. Neque obſtat, *Quòd careat organis vegetandi, aut ſentiendi*: cùm his animabus præditum non ſit, ſed tantùm Intellectiuâ, & loco motiuâ; quæ in ſempiternis corporibus, cuiusmodi eſt Cœlum, ſeparantur à cæteris priùs exiſtentibus, ſcilicet vegetatiuo, & ſenſitiuo, vt ſuprà fuſiùs dictum eſt. Quod argumentum quamuis probabile ſit, tamen efficax non minimum eſt. Abſurdum enim ſatis eſſet formicam, aut vermem eſſe cœleſti corpore nobiliorem. Quamuis multos varias ad hoc afferre reſponſiones ſciam: quas omnes tanquam flocci faciendas conſultò omittam. Neque ſatisfacit, *Quòd Orbis coniunctus cum Intelligentiâ maximam accipiat nobilitatem*. Hæc enim copulatio cùm ſit extrinſeca, non maiorem afferet Orbi nobi-

nobilitatem, quàm Nauta naui, vel Auriga currui, qui nobilitatem tantùm afferre poſſunt accidentalem.

PRÆTEREA. Quod cæteris cauſa eſt vt ſint animata, magis ipſum eſſe animatum debet. Sed Cœlum cæteris cauſa eſt vt ſint animata. Ergò. MAIOR eſt euidens: quia *Propter quod vnumquodque tale eſt, & illud magis*. Quæ Regula vera eſt omnium conſenſu in cauſis vniuocè agentibus, cuiusmodi eſt Cœlum in productione animati: cùm animatum quodlibet ſit ſubſtantia, & omnis ſubſtantia producatur ab vniuoco, *ex Aristotele 12. Metaph. part. 13.* In quo omnes ſtatuunt, *Quòd omnis productio ſubſtantiæ eſt ab vniuoco in ſpecie, aut ſaltem in genere*. Quare ſi Cœlum multas viuentium producit ſpecies, etſi non conuenit cum illis in ſpecie, ſaltem neceſſe eſt vt conueniat cum illis in genere, vt ſit corpus viuens, & animatum. NEQVE ſatisfacit reſponſio, *Quòd in horum productione Cælum agit vt instrumentum Intelligentiæ*: tum quia Cœlum non eſt animatum ab Intelligentiâ: & propterea omnino æquiuoca eſſet productio: tum quia Intelligentia cùm ſit omnino abſtracta à materiâ, nullo modo poteſt cum his inferioribus communicare in genere neque etiam remotiſſimis. MINOR autem Propoſitio euidens eſt non modò in quibuſdam Animalibus & Plantis, quæ à ſemine non oriuntur, ſed per propagationem; verùm etiam in cunctis iis quæ ex ſemine fiunt, vno tantùm excepto Homine. Eſt enim in ſemine ſpiritus, & vis quæ in eo ſpiritu continetur, proportione reſpondens elemento ſtellarum, *ex Aristotelis 2. de Generat. Animal. Cap. 3.*

Quam

Quam ob causam existimauit *Cicero in Tusculan*. Aristotelem putasse Animam quintum corpus. Et Virg. *6. AEneid*. cecinit.

Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Indè hominum, pecudumq; genus, vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.
Igneus est illis vigor, & cælestis origo.

ABSVRDVM præterea est, & naturæ, atque entium ordini insuetum, duo extrema, & omninò dissita, absque medio inuicem connecti, & copulari: cuiusmodi sunt Intelligentiæ, quæ actus puri & à magnitudine omninò seiuncti, cum Cœlesti corpore, nullo mediante animæ vinculo, copulari non possunt. Veluti enim lumen nonnisi in diaphano aptum est recipi; ita et substantiarum abstractarum operationes, nonnisi in animâ. Quâ similitudine à Platone *in 6. de Republ.* sibi mutuatâ, vsum fuisse Aristotelem, nouimus *3. de Anim. cap. 3.*

AMPLIVS etiam hæc sententia ex eo maximè confirmatur, quòd si cœlos animatos statuimus, facilimè omnium, & tàm variorum motuum ratio constat, quibus Orbes præditos esse videmus, vt ex Aristotele suprà docuimus *2. de Cæl. tex. 61.* Si verò tanquam inanimes intelligamus, difficilimum, aut impossibile etiam erit, eorum certam causam, & modum assignare. Hinc enim ad Eccentricos Epicyclos, & motum

Ter-

Terræ, reptationem Aſtrorum, et alia innumera abſurda, Aſtrologi confugere coacti ſunt.

At verò, quod omnium maximè Propoſitionem hanc ſtabilem et firmam reddit, eſt argumentum ex penitioribus noſtræ Religionis arcanis deproptum, quod contrà Auerroem cæterosque Fidei hoſtes Sanctus Thomas *2. contrà G. cap. 70.* contorſit, et eo hanc ſententiam ſtabiliuit. Argumentum autem ſupponere debet, quod ab initio aſſumptum fuit, *Nempè Nobiliſsimo corpori omnes illas tribui debere perfectiones, quas non eſſe impoſsibiles putauerimus*. Modò nullum abſurdum eſt in rei naturâ, quinimò eſt neceſſarium, aliquem actum vniri Corpori, tanquàm eius formam eſſentialem, et informantem, quæ nullo modo quoad ſuam eſſentiam pendeat à materiâ: cuiusmodi eſſe Animam humanam certiſſimum eſt. Quæ quamuis corpori ſit immixta, *ex Ariſt. 3. de Anim. 6.* adhuc tamen eſt eius Entelechia, et forma informans, vt Concil. Lateranenſe vltimum ſanctè decreuit. Ergò pariter nullum abſurdum erit, in Cœlo talem Animam reperiri: quæ quamuis ab eius ſubiecto nequaquam pendeat quoad eſſe et intelligere; tamen dicitur eius forma, vt etiam decretum reliquit Auerroës *Lib. de Subſt. Orb. cap. 3*. Quarè et optimè contra ipſum argumentum Sancti Thomæ militat; cùm Auerroes animam Intellectiuam nequaquàm formam informantem, ſed formam aſſiſtentem exiſtimaſſet, ex eo quòd à materiæ potentiâ ſit abſtracta.

HANC ſententiam ſecuti ſunt Primarii ex Patribus. Origenes 2. Περὶ Αρχῶν *Cap. 7.* vbi ex multis Sacræ Scripturæ locis eam colligit. Et Hieronymus exponens illud Eccleſiaſtici primo: *Luſtrans vniuerſa per circuitum regit Spiritus.* Auguſtinus verò nequè ab eâ abhorruit. quinimò viſus eſt ad eam inclinare. nam et *in Enchiridio* inquit: *Sed nec illud certum habeo, Vtrum ad eandem ſocietatem pertineant Sol, et Luna, et cuncta Sidera, quamuis nonnullis lucida corpora eſſe tantùm ſenſu, vel Intelligentiâ videantur?* et *2. de Geneſi ad literam Capite vltimo,* hanc eandem, vt illam propoſuimus, diſputationem tangens, dubiam relinquit, nequè decernere audet, his verbis: *Solet etiam quæri, Vtrùm Cæli luminaria iſta conſpicua corpora ſola ſint, an habeant rectores quosdam ſpiritus ſuos? et ſi habent, Vtrùm ab eis etiam vitaliter inſpirentur, ſicut animantur carnes per animas animalium? an ſola, ſinè vllâ permixtione, præſentia? Quod licet in præſenti facilè non poſſit comprehendi: arbitror tamen in proceſſu tractãdarum Scripturarum opportuniora loca poſſe occurrere, vbi nobis de hac re ſecundùm Sanctæ Authoritatis Litteras, etſi non oſtendere certum, aliquid tamen credere licebit. Nunc autem ſeruatâ ſemper moderatione piæ dignitatis, nihil credere de re obſcurâ temerè debemus, ne fortè, ſi quid poſteà veritas patefecerit, quamuis libris ſanctis, ſiuè Teſtamenti Veteris, ſiuè Noui, nullo modo poſſit eſſe aduerſum, tamen propter amorem noſtri erroris oderimus.*

HANC eandem ſententiam docuit S. Thomas *2. de Cælo com. 13. et vt dictum eſt, 2. contrà Gen. cap. 70. et in Quæſtionibus diſputatis Quæſt. de Anim. art. 8.* Neque illi contradicit *in 1. part. Sum. art. 3.* Sed cùm dixiſ-

xiſſet *in Quæſt. de Anim. loco cit.* vtramque ſententiam probabilem eſſe, et ſuſtineri poſſe: atque *in 2. contrà Gen.* probaſset, Cœlum verè animatum eſſe, et Animâ, vt dicunt, Informante; *in primâ par. Sum.* voluit alteram partem ſuſtinere, Nempè quod ſit animatum animâ tantùm tribuente operationem: Ac propterea dicit in fine Art: *Eos qui dicunt Cœlum eſſe animatum, ab iis qui dicunt inanimatum, paruâ aut nullâ differentiâ, ſed ſolâ voce inter ſe diſcrepare.*

QVIBVS DECLARATIS, minimè difficile erit ad obiecta reſpondere. Et PRIMO AD PRIMVM ex Ariſtotele *2 de Cœlo part. 6* dicimus, eo loco impugnari ſententias Antiquorum. qui cùm putaſſent, Cœlum violenter detineri, nè ſuapte naturâ inferiùs decideret, multas attulerunt cauſas; et inter cæteras, detineri ab animâ; quemadmodum detinentur corpora animalium, ne in terram labantur, et concidant propriæ molis pondere. Quam opinionem, veluti abſurdam, volens Ariſtoteles rejicere, inquit: *At verò nec ab animâ cogente rationabile eſt manere ſempiternum. Nequè enim poſsibile eſt, eſſe talem vitam animæ ſinè triſtitiâ, et beatam. Neceſſe enim eſt motum cum violentiâ exiſtentem: et cætera quæ tota illa partic. proſequitur in hanc ſententiam.* Quæ ratio contrà noſtram poſitionem non concludit. Non etenim ſtatuimus, Corpus cœleſte habere repu-

gnantiam ad motum quo mouetur ab animâ, vt corpora animalium videmus habere; sed habere intrinsecum impetum, et propensionem ad eundem motum, ex quo corpus naturale est, et appellatur. Ac propterea Anima Cœli nullam tristitiam, aut defatigationem subire potest, quæ eius minuant felicitatem, vt Antiquis Aristoteles opponebat.

Ad II. *ex 1. de Anim. part. 49.* Respondemus cum S. Thoma, *loco cit. Quæst. de Anim. art. 8. ad 3.* Quòd licet anima Intellectiua ratione intellectionis non indigeat corpore; quinimò *melius sit illi esse sinè corpore quàm cum corpore,* vt Aristoteles loco alleg. inquit; tamen propter executionem virtutis actiuæ, secundùm quam potest adipisci diuinam similitudinem in causando per motum cœli, conuenientius fuit, ipsam esse coniunctam corpori, et informare corpus. Quæ responsio decerpta est ex Aristotele *12. Metaph. par. 36.* vbi inquit, *Primum motorem immotum mouere vt concupiscibile, et intelligibile.* Cùm enim Anima Cœli intelligens primum motorem, et alias separatas mentes, cognoscit eas omnibus communicare esse, vt vitam; (quantum ei licet) earum bonitati assimilari cupit, hæc inferiora per motum cœli causando, et producendo.

Ad III. ex Aristotele *8. Phys. et 12. Metaph.* vbi ex primi motus æternitate, et cæterorum æternorum motuum numero, arguit et primum motorem abiunctum à materiâ, et cæteras Intelligentias, nullâ habitâ de Cœli animâ mentione; dicimus, Quòd iure merito Aristoteles, nullam in his locis eius habuit rationem. Nam ex motu æterno non potest argui nisi motor æter-

nus

nus, vt Deus, et Intelligentiæ, quarum nulla eſt in corpore; non autem Anima quæ eſt actus corporis. At nihil prohibet, præter Intelligentias, quæ ſunt motores omninò ſeparati à materiâ, eſſe alium motorem in materiâ, ſiuè in corpore, qui eſt Anima: quinimò neceſſarium eſt; cùm motores illi non poſſint immediatè mouere corpus. Si enim mouerent immediatè corpus; aut eorum vis motiua eſſet cõmenſurata quanto, et tunc eſſet finita, et tunc non poſſet infinito tempore mouere; aut non eſſet commenſurata quanto, et tunc moueret in inſtanti. quod deſtruit naturam motus, vt ſupra monſtratum eſt.

AD IIII. dicimus, Quòd etſi cœlum non habet organa qualia habent caduca animalia, quæ illi minimè neceſſaria ſunt, cùm neque vegetet, nequè ſentiat; habet tamen organa conuenientia ad ſuam actionem. Talia autem ſunt varii Orbes et Stellæ. quod docuit Philoſophus *2. de Cælo*. Nequè obſtat authoritas *ex eodem Lib. part. 50*. Ibi etenim negat Cœlo tantùm organa ad progreſſiuum motum.

AD V. eadem affertur reſponſio, quæ ad Secundum.

AD VI. negatur conſequentia; *Scilicet quòd cœlum eſſet compoſitum ex materiâ et formâ, ſi materia ſumatur pro ſubiecto quod habet potentiam ad eſſe ſimpliciter, vt ſumitur in confirmatione conſequentiæ*. Ratio negationis eſt: quia corpus cœleſte etiam ſeclusâ animâ, et pro Orbe tantùm acceptum, non habet potentiam ad eſſe ſimpliciter. Tunc enim haberet potentiam ad non eſſe, et eſſet corruptibile. Sed eſt corpus actu, ac propterea

dignius dicitur Subiectum, quàm Materia, vt inquit Auerroes *in Lib. de Sub. Orb.* At verò habet potentiam ad tale esse, hoc est, ad esse viuens et animatum. Nec propterea impeditur, quin anima sit eius forma informans, vt dicunt; quemadmodum nec in cæteris animalibus impeditur à forma mixtionis, siuè, vt dicunt, corporeitatis: cùm talis actus habeat rationem potentiæ respectu perfectioris actus, vt Auerroi, et Scoto placuit.

Ad VII. respondemus, Quòd *Moueri per accidens à se* competit formis quæ sunt in aliquo corpore, quatenus pendent in esse ab illo corpore. Ac propterea dixit Philosophus, *ibi 8. Phys. 52. Quòd competit corruptibilibus*: vt benè ibi docet S. Thomas. At cùm anima Cœli non pendeat in esse à corpore Cœli (non enim est educta de potentiâ materiæ, cùm in Cœlo non reperiatur materia quæ est potentia, vt fusè docet Auerroes *in de Sub. Orb.*) non est dicendum, quòd *Moueatur per accidens à se, scilicet ad motum cœli*, quod ab ipsâ mouetur eo modo, quo Aristoteles dixerat *Conuenire corruptibilibus formis*; sed modo valdè remoto: quemadmodum si diceremus, Punctum moueri ad motum lineæ, vel Intelligentiam assistentem Orbi ad motum Orbis cui assistit.

Ad VIII. respondemus; et Primò ad Primam partem argumenti, concedendo, Animam Cœli esse virtutem finitam in mouendo, non solùm vt dicit finitum in tarditate aut celeritate motus, verùm etiam vt dicit finitum in duratione motus. Hoc tamen nihil obstat, quin accipiendo virtutem ab Intelligentiâ quæ

est

eſt perpetuus motor, quatenus ſcilicet ab eá mouetur, perpetuo tempore: quemadmodum Auerroes docuit *12. Metaph. 41.* et nos fuſiùs diximus in diſputatione. NEQVE obſtat inſtantia contrà Auicennam ab Auerröe allata. Illa enim concludit contrà perennitatem eſſentiæ, non contrà perennitatem operationis. Putabat enim Auicenna, *Animam cœli eſſe virtutem finitam in eſſe et duratione, ſiuè corruptibilem, ſed perpetuitatem accipere ab Intelligentiâ.* Contra quam ſententiam inuehitur Auerröes, tanquàm impugnatam ab Ariſtotele *1. de Cœlo.* At nos dicimus, Animam cœli eſſe ſuâ naturâ incorruptibilem; cùm ſit Intellectus, et informet corpus incorruptibile; ac proindè non accipere perpetuitatem in eſſe ab Intelligentiâ, ſed in motu tantùm, et operatione, ſcilicet vt perenniter moueat, quamuis ſit virtus finita. Et hæc ad primam argumenti partem. AD ALTERAM verò dicimus, quòd quamuis anima Cœli ſit Intellectiua, et ex conſequenti immixta, indiuiſibilis, et immortalis; tamen non ſequitur, quòd ſit Intelligentia. Ratio eſt, quia Intelligentia nullo modo eſt virtus in quanto, ſed eſt ſubſtantia omninò ſeparata, *vt Ariſtoteles probauit 8. Phys. et 12. Metaph.* At anima etiam Intellectiua eſt virtus in quanto, cùm ſit forma corporis, et actus, ſiuè Entelechia corporis.

ET HÆC ad Argumenta primo loco obiecta.

AD ARGVMENTA verò quæ aduerſus conſtitutam ſententiam ex authoritate Sanctorum Patrum, et Sacrâ Theologiâ deſumuntur, facilè eſt reſpondere.

ET

ET PRIMO, ad Primum, *Quòd ſcilicet Baſilius Magnus, et Damaſcenus, Cælos eſſe inanimes dixerint*, Reſpondemus cum S. Thoma *in Quæſt. de Anim. in Reſponſ. ad 3. Argum*: Quòd in hac quæſtione fuit diuerſa opinio non ſolùm apud Philoſophos, ſed etiam apud Fidei Doctores. Nam Baſilius et Damaſcenus dixerunt cœlos inanimatos; Origenes autem, et eius ſectatores, ipſos animatos ſtatuerunt. Auguſtinus verò *in Enchir. et in 2. de Geneſi ad literam*, ſub dubio reliquit. Quarè alterutram opinionem ad libitum ſinè ſuſpicione erroris defendi poſſe dicendum eſt. Quod idem pariter docuit S. Thomas *1. part. Sum. Quæſt. 70. art. 3.* vbi etiam pro noſtra ſententia, *Quòd cælum ſit animatum*, citat Hieronymum *primo Eccleſiaſt. vbi exponit illa verba: Luſtrans vniuerſa per circuitum pergit ſpiritus.* Quamuis quibusdam videatur, S Thomam ibi contrarium ſentire. Ad quod infrà fuſiùs reſpondebitur.

Aliam etiam afferemus et nos Reſponſionem, Quòd ſcilicet probabile ſit, prædictos S. Patres, Baſilium, et Damaſcenum, dixiſſe Cœlos inanimatos, vt auerterent homines ab adoratione Siderum, et Idololatriâ: Potiſſimùm verò id reſpexiſſe Baſilium, ob innouatum ſuo tempore Gentilitatis cultum à Iuliano illo Apoſtata. Qui vt induceret cæteros ad Siderum cultum, et Idololatriam, dicebat: *In adoratione Solis, et Lunæ, et cæterorum Siderum, non adorari viſibilia illa corpora, ſed beatas & inuiſibiles eorum Mentes*: vt videre eſt apud Cyrillum Alexandrinum. Cuius tamen erroris ſuſpicio in Infidelibus magis oriri poteſt ex illâ Opinione, quæ ſtatuit *Cælis aſſiſtentes beatas mentes*, potiùs

quàm

quàm ex hac, quæ ſtatuit *in Cœlo animam informantem non ſeparatam*: cùm Anima ſit forma corporis, et ex conſequenti non ſit forma completa; cuiusmodi ſunt beatæ Mentes. quæ etſi adorari poſſunt adoratione quæ Creaturis competit, hoc eſt, Veneratione quadam, in quâ adoratur majeſtas Creatoris; tamen nequaquam adorari debent adoratione Latriæ, quæ ſoli Deo competit, et debetur.

AD II. verò, vbi dicitur, *Contrariam ſententiam nunc ferè omnium Theologorum Scholam ſequi*, Reſpondeo, Quòd etiam S. Thomæ tempeſtate hæc Opinio erat communis: vt ipſemet teſtatur loco ſæpiùs citato, *Q. de Anim. art. 8.* Et tamen hoc ipſum non detinuit, quin ibi ſtatueret, vtramque ſententiam poſſe tueri absque aliquâ ſuſpicione. Inquit enim: *Propter argumenta, vtramque partem ſuſtinentes, dicamus, Aliquam Subſtantiam intellectualem eſſe perfectionem corporis cœleſtis, vt forma: quæ quidem habet ſolam potentiam intellectiuam, non autem ſenſitiuam.* Et *2. contra Gen. cap. 70.* vbi cùm ſtatuiſſet, *Cœlum eſſe animatum animâ informante*, in calce *eiusdem cap.* ſubdit: *Hoc autem quod dictum eſt de Animatione Cœli, non diximus quaſi aſſerendo ſecundùm Fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, ſiuè ſic ſiuè aliter dicatur.* Quare nullum mihi faceſſit negotium, ſi ferè omnis recentium Theologorum Schola contrarium ſentiat. Benè etiam et ipſi ſentiunt. Satis eſt, me non malè ſentire, neque in hac ſuſpicione eſſe (quod Deus auertat). Et in hoc ſola mihi inſtar omnium eſt authoritas S. Thomæ Philoſophi, ac Theologi doctiſſimi pariter et Sanctiſſimi, cuius libros inoffenſo pede (quod de Hilario

dictum est à Hieronymo) pius ac fidelis quisq; percurret.

NEQVE VERÒ contrariam huic statuit sententiam S. Thomas *1. par. Sum. art. 70.* Nam quamuis videatur dicere, *quòd Cælum sit animatum animâ præbente operationem tantùm, siuè assistente*, tamen non impugnat eam sententiam, quæ credit, *Cælum esse animatum Animâ Informante.* Quinimò si rectè intelligatur, aut idem sentit, aut parum ab illâ differt, quod ipsemet S. Thomas fatetur in fine Conclusionis, et in Corpore apertè docet. Vbi cùm plura ad hanc rem attulisset: *Nempè vnionem animæ et corporis, esse propter animam, non propter corpus; eò quia forma est quid nobilius, cuius gratiâ est materia*: Et, *Animæ naturam, quæ animati corporis est forma, ex eius operatione, quæ quodammodo eius est finis, innotescere*: Necnon, *Operationes Animæ esse, vegetare, sentire, intelligere, et per se moueri secundùm locum; Ex vegetare* autem *et sentire, quamuis sint operationes in quarum exercitio Anima indiget corpore, nullam arguere nos posse in corpore Cælesti Animam; cùm ipsum nequè crescens, aut decrescens, nequè alterationi alicui subiectum corpus existat; nec* verò *ex intelligere, cùm intelligere nullo exerceatur corpore mediante*: Ac propterea *reliquum esse, vt ex solo motu argui possit, quòd Cælum sit animatum; qui per solam applicationem virtutis fieri potest, absquè quod Motor vniatur mobili vt forma, quemadmodum ex Aristotele 8. Phys. patet*: Tandem concludit, *Quòd Cælum non sit animatum; Aut si sit animatum, quòd moueatur ab Animâ quæ non sit forma, sed sit Motor tantùm, vt est Intelligentia.* Quæ sententia non repugnat illi quam scriptam reliquit S. Thomas *in 2. contra Gen. cap. 70. et in Quæst. de*

Anim.

Anim. art. 8. Quare vtraque in Doctrinâ S. Thomæ, et absque suspicione erroris, defendi potest probabiliter: vt optimè docuit Ferrariensis *in Expositione prædicti loci 2. contra Gen.* et ante ipsum Ægidius Romanus *in Castigatorio Corruptorii S. Thomæ.* Vbi non solùm ostendit, hanc sententiam probabilem esse apud S. Thomam, verùm etiam respondet ad Argumenta in contrarium: vt etiam fecerat S. Thomas *in Quæst. de Anim.* Quos posteà imitatus est Ferrariensis.

NEQVE obstat authoritas Caietani *in 1. par. Sum. super art. 70.* quamuis viri grauissimi, et doctissimi, vbi inquit, *S. Thomam in Summâ correxisse, ac emendasse Sententiam de Animatione Cœli, quam docuit 2. contra Gent.* Omitto nunc, quòd illius authoritati opponere possem authoritatem non solùm Ægidij, vt diximus, verùm etiam Ferrariensis, viri pariter doctissimi, et pientissimi. Nam Caietanus quamuis ibi afferat hanc responsionem, tamen illi non acquiescit; sed aliam adhuc affert: vt apud ipsum videre est diligenter considerantibus. QVOD si existimauit Caietanus, has Opiniones apud S. Thomam esse contradictorias, nos etiam ostendemus, illas non esse contradictorias, ac posse vtramque sustineri absque aliquâ repugnantiâ. Quod manifestè probabimus, duobus suppositis ex Doctrinâ S. Thomæ: Primo scilicet, quòd omnis forma substantialis informet materiam primam immediatè, hoc est, nullâ alia mediante formâ, quæ simul sit; cùm non dentur in vno composito plures formæ substantiales: Altero verò, quòd Cœli materia sit diuersæ rationis à materia horum inferiorum. Ex quo sequitur

quòd cùm materia horum inferiorum ſit potentiâ, materiam cœli non eſſe potentiâ ſed actu. His ſuppoſitis, Dico, quòd probabiliter in doctrina S. Thomæ poſſumus ſuſtinere; et *Quòd Cælum ſit verè animatum*; et *Quòd non ſit verè animatum, ſed æquiuocè*. Si enim ſumimus *Eſſe Animatum* pro Eſſe Formali quod dat ſubiecto non ſolùm eſſe animatum et viuens, ſed etiam eſſe ſimpliciter; cuiusmodi eſt eſſe quod dat Anima plantis, & animalibus: vtique hoc pacto *Cælum non eſt verè animatum*, ſicut animalia et plantæ; ſed *æquiuocè*, vt ait S. Thomas *in calce Concluſionis*. Ratio eſt: quia materia cœli cùm non ſit eiusdem rationis cum materia horum inferiorum, non eſt potentiâ ſed actu; ac propterea debet eſſe ſimpliciter à ſe, non ab Animâ. At ſi ſumamus *Eſſe animatum* pro Eſſe Formali quod dat tale eſſe, ſcilicet animatum, et vitale, per aliquod principium intrinſecum vitalis operationis; tunc verè dici poterit, *Quòd Cælum eſt animatum, et Vniuocè, Animâ Informante*: quia Cœlum habet intrinſecum principium actiuum motus localis, quo determinatur anima, non minùs quàm vegetatiuo, ſenſitiuo, atque intellectiuo, vt Ariſtoteles docuit *Secundo de Anim. part. 13.*

QVOD autem hæc fuerit ſententia S. Thomæ, clariſſimè patet ex eius verbis. Dum enim concludit, *Cælum non eſſe Animatum*, non inquit ſimpliciter, *Cælum non eſſe animatum verè, ſed æquiuocè*: ſed inquit cum additione: *Sicut animalia, et plantæ*. Hæc autem ſunt eius verba *in calce concluſionis dicti Art. 3. Quæſt. 70. primæ part: Sic igitur patet, quòd corpora cæleſtia*

stia non sunt animata eo modo quo plantæ, et animalia, Sed æquiuocè. In quo eodem sensu constat fuisse dictum à sanctis aliquibus Patribus, *Cælos non esse animatos*, scilicet vt inferiora animalia, animâ videlicet sentiente. Quod patet ex Damasceno *Lib. 2. Orthodoxa Fidei cap. 6.* vbi inquit: *Nullus etiam Cælos, aut Luminaria, arbitretur animata: Inanima enim sunt, & insensilia.* Nisi dicendum sit cum eius Interprete, quòd Platonicorum referat sententiam, ponentium cœlos animatos per animam Mundi. Ita etiam putandum est, secundùm eandem significationem fuisse ab Irenæo recensitam hanc sententiam inter Hæreses, et fuisse explosam in Canone quintæ Synodi Constantinopolitanæ: quamuis ille Canon non reperiatur inter Canones reliquos illius Synodi, sed tantùm recenseatur à Nicephoro. Ex quo inualida est eius authoritas. Ita constat locutum fuisse Augustinum *Lib. primo Retract. cap. 5.* vbi inquit: *Per animam ergò corpus subsistit, et eo ipso est, quo animatur; siuè vniuersaliter, vt Mundus; siuè particulariter, vt vnumquodque Animal intra Mundum. Hoc totum prorsus temerè dictum est.* Quibus ex verbis liquet, eum retractasse eam opinionem quâ asseruit, *Vniuersum Mundum esse animatum*; non hanc, *Quòd Cælum sit animatum animâ Intellectiuâ tantùm.* Et *2. Retract. cap. 7.* Quo in loco aut non retractat opinionem hanc, *Quòd Cæli sint animati*, sed dubiam tantùm ostendit: quod patet ex eius verbis, dum inquit *in 14: De Sole, et Lunâ, talia dicta sunt, tanquàm sentiant, et ideò tolerent vanos adoratores suos: quamuis verba ibi accipi poßint, ab animali ad non animale translata, modo locutionis qui vocatur Græcè Me-*

taphora: sicut de mari scriptum est; Quòd fremat in vtero matris suæ; volens progredi, cùm vtique non habeat voluntatem: Aut si eam retractat, eam retractat in hoc sensu, *Scilicet quòd non sint animati animâ sentiente, et intelligente, vt sunt homines.* Quod non solùm patet ex verbis: *De Sole, et Lunâ, talia dicta sunt tanquàm sentiant*: verùm etiam ex iis quæ contra Faustum eo libro attulit, vbi videtur de Cœlis tanquàm de Hominibus loqui, dicens: *Vos quidem nullus Rex Gentilis cogit adorare Solem, quòd nec ipse Sol cogeret, si in Terrâ regnaret; quia nec nunc à vobis hoc vult fieri. Sed sicut Creator ipse impios blasphematores suos vsque ad Iudicium sustinet; sic et ipsa cœlestia tolerant vanos adoratores suos vsque ad Iudicium Creatoris sui.* Ex quibus verbis ne quis fortè existimaret Cœlos ita animatos esse, vt homines sunt, qui gaudent, tristantur, irascuntur, tolerant, ac patienter ferunt; propterea illa *Secundùm Metaphoram* à se fuisse dicta Augustinus asseruit.

ET HÆC ad Argumenta, quæ in contrarium ex Authoritate deprompta sunt.

AD EA VERÒ quæ ex Ratione, Respondet S. Thomas *in Quæst. de Anim. sæpius citatâ, Art. 8.* Et PRIMO AD I. vbi dicitur, *Si Cælum esset animatum, tunc eius Anima, cùm esset libera, posset peccare; ex quo sequebantur plura absurda, si aliquandò peccaret*: Respondet *in Responsione ad IIII*: Quòd licet secundùm naturam suam omnes Creaturæ Intellectuales possint peccare, tamen ex electione diuinâ, et prædestinatione, per auxilium Gratiæ, plures conseruatæ sunt ne peccarent:

carent: inter quas posset aliquis ponere Animas corporum Cœlestium.

Ad II. verò, vbi dicebatur, *Quòd Societas Sanctorum ex Angelis et Hominibus constat*, ex authoritate S. Patrum, pariter idem respondet *in Responsione ad V*: *Quòd si Cœli sunt animati, eorum Animæ pertinent ad societatem Angelorum*, vt Augustinus dixit *in Enchiridio*. Ita enim respondet Ægidius *in loco citato sui Castigatorij* ad aliud Argumentum allatum ab Aduersariis, ex eo *quòd si Cœli essent animati, tunc Dionysius fecisset mentionem huius Hierarchiæ animarum cœli*: Respondet inquam, quòd non fecit harum Animarum mentionem: quia si dantur tales Animæ, ad societatem Angelorum pertinent. Hac eadem responsione et ego satisfeci R^{mo}. Dn. Francisco Diotalleuio, quem honoris causâ recenseo, cùm mihi obiecisset in hac Disputatione, quam habui audiente Illmo. ac Exc^{mo}. D. Federico Cęsio Principe Sancti Angeli, nec non aliis Ill^{mis}. pariter ac Doctissimis Romanæ Nobilitatis Proceribus, ac R^{mis}. nonnullis Prælatis: cùm inquam mihi obiecisset, *Quòd si Animæ Cœli darentur, tunc essent adorandæ et in Litaniis inuocandæ*. Si enim dantur, sunt in Societate Sanctorum Angelorum: et tunc sunt adorandæ eâ adoratione quâ Sancti Angeli, et Ministri summi Dei adorantur. Nec oportet illas nominatim in Litaniis recensere, cùm complectantur in illâ inuocatione, OMNES SANCTI BEATORVM SPIRITVVM ORDINES INTERCEDITE PRO NOBIS. Vel dicendum est, vt inquit S. Thomas: *Quòd cum adhuc sint in viâ, non sunt adorandæ, nec in Litaniis inuocandæ: quia Ecclesia nondum illas adorandas proposuit.*

posuit. Quamuis existimare quis posset, illas esse prædestinatas.

Nec minvs facilè fuit satisfacere duobus aliis Argumentis ab eodem Rmo. allatis: Et Primvm Primo: *Quòd si Anima Cœli esset beata, post diem Iudicii simul cum suo corpore cœlesti esset transferenda in Cœlum Empyræum, quod est Sedes Beatorum.* Dicimus, Quòd hoc non esset necesse: quia cùm beatitudo sit contemplatio Dei, et Deus sit vbique, ac potissimùm in Cœlo, iuxtà Esaiam dicentem, *Cœlum Sedes Dei est*; potest Anima Cœli cum suo corpore frui Beatitudine, absque eo quod mutet locum. Nec Obstat, quòd Cœlum Empyræum dicitur *Sedes Beatorum*. Dicitur enim Sedes beatorum Hominum, et Angelorum, non aliorum Cœlorum. Nisi dicendum sit, quòd etiam est Sedes aliorum Cœlorum; cùm inferiores cœli sub Empyræo sint et contineantur.

Ad Locvm verò alterum, vbi dicitur *ex 2. Epist. S. Petri*: *Quòd Cœli ardore soluentur in die Iudicii: Ergò Cœlorum Animæ tormentum patientur.* Cui respondemus Primo: Quòd ibi possunt intelligi Cœli pro cœlo aëreo, vt ibi *Volucres Cœli*: quamuis subdat, *Quòd elementa ignis ardore liquescent*. Intelligit enim de cæteris elementis. Secvndo verò respondemus, Quòd quamuis Cœli propriè dicti ardore soluantur, tamen Anima nihil patietur: quia talis ignis non erit destructiuus, sed purgatiuus, et perfectiuus Cœlorum; vt patet ex eodem loco. Subdit enim: *Quòd erunt Cœli Noui, et Terra Noua*. Quod Theologi benè intelligunt, non nouos, hoc est, de nouo factos, sed innouatos.

Tunc

Tunc enim *Sol Septempliciter lucebit*, vt Eſaias inquit. Itaque minimè timendum eſt Animæ Cœli, ne tormentum ab igne patiatur, vt timebat R^mus^. Diotalleuius.

NEQVE OBSTAT quòd vrgent aliqui hanc ſententiam ex eo, quòd videatur anathematizata inter errores Origenis in Synodo Conſtantinopolitanâ quintâ ſub Vigilio Papa. Nam (vt optimè Claudius Eſpengeus, Pariſienſis Theologus, *in Libello de Animatione Cœli*; quamuis contrariam ipſe tueatur ſententiam) hoc non reperitur inter Acta ejus Synodi. Et nos vidimus non ſolùm in Conciliis annis ſuperioribus editis, tum ex vetuſtis Latinis exemplaribus, tùm ex Græcis; verùm etiam et in accuratiſſimâ et recentiſſimâ editione Græcolatinâ juſsu S^mi^. Dn. noſtri Pauli V. editâ; in quâ nulla eſt mentio huius anathematiſmi in corpore Concilii. Sed neque in Epiſtolâ Pelagii Papæ ad Epiſcopos Liguriæ: in quâ omnia Acta in Concilio fuſiſſimè recenſentur. Quam citat et approbat Gregorius Magnus, in approbatione et confirmatione eiuſdem Synodi, quam protulit idem Gregorius. In quâ cùm omnia alia damnata numerentur, huius nulla ſit mentio. BENE verum eſt, Quòd reperitur hæc condemnatio in Epiſtola Iuſtiniani ad Mennam Conſtantinopolitanum. Quæ Epiſtola apponitur inter appendices dictæ Synodi. Et huius damnationis Articulorum Originis confirmatæ à Vigilio Papa meminit Liberatus in Breuiario Cap. XIII. QVIBVS omnibus reſpondetur, vt reſpondet dictus Eſpengeus,

quamuis aduersarius: Quòd in his fuit damnata sententia Origenica de Animatione Cœlorum, *Nempe quòd anima cœli fuerit ante corpus, et propter peccatum fuerit corpori intrusa.* Quod patet ex progressu disputationis, in ea Epistola fusè recensitæ et enarratæ, multis adductis authoritatibus sacris et argumentis, quibus totus hic Origenis error damnatur; non autem hæc ejus pars, *Scilicet quòd Cælum sit animatum cæteris circumscriptis.*

NEQVE obstat quòd videtur seorsum inter anathematizatos errores hæc sententia damnata in sexto Anathematismo his verbis: *Si quis dicit Cælum, et Solem, et Lunam, ac Stellas, et Aquas quæ super Cælos sunt, animatas et materiales esse quasdam virtutes*, ANATHEMA *sit.* Nam huius erroris anathematizati sensum, paulò suprà recitans ex Origenis libris fusiùs explicauerat author Epistolæ his verbis (vt in Appendice Concilii recenter editi Romæ, videtur) ex primo eiusdem libri volumine, *Quòd Sol et Luna et Stellæ animatæ sint: Quòd porrò Solis anima antiquior sit allegatione ipsius ad corpus, conclusum id est ex comparatione hominis ad ipsum: Verùm et è Scripturis arbitror posse hoc demonstrari.* CONSTAT igitur, quòd cùm non sit in Concilio hæc sententia damnata, et in hac Epistola in sensu longè diuerso sit damnata ab eo, quo à Sancto Thoma et aliis sectatoribus tuetur; nullatenus suspectam esse posse, sed sine offendiculo probabilem: vt non solùm *2. contra Gentes 70.* verùm etiam *Quæstione de Anima artic. 8. et de Spiritualibus creatur. artic. 6. et Quolibeto XII. artic. 9. et Opusculo X. Anim. p^ro^.* et post illum Ferrariensis et Cajetanus.

ET

ET HÆC AD propoſitam Quæſtionem, ſaluâ Fide, ac Veritate, probabiliter dicta ſint ſatis.

QVÆ tamen omnia, et ſingula, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Iudicio, ac Cenſuræ ſubiecta eſſe volo, veluti et me ipſum ſubjicio. Ipſam enim in quocunque Dogmate Magiſtram Veritatis agnoſco, extra quam non eſt ſalus. LAVS DEO, ET DEIPARÆ SEMPER VIRGINI: in cuius ſanctiſſimæ Annunciationis die huic Quæſtioni finem impoſui.

Anno M. DC. XIV.

ROMÆ.

IVLII CÆSARIS LAGALLÆ

Libri Editi.

De Phænomenis in Orbe Lunæ
De Luce et Lumine: impreß. Venetiis in 4.
De Immortalitate Animorum ex opinione Aristotelis, Libri tres: Romæ in 4.
De Cœlo Animato Animâ Informante, ex Aristotelis sententiâ Disputatio: in 4. edita Typis Vœgelianis.

Libri Edendi.

Paraphrasis in Aristotelem de Insomniis et Diuinatione per Somnium.
De Speciebus Intelligibilibus Disputatio.
De Sympathiâ et Antipathiâ rerum.
De Cometis.
Philosophia Naturalis, Supernaturalis, et Ethica, juxta dogmata Aristotelis et Antiquorum.
De Incantationibus, Fato, Libero Arbitrio, et Prædestinatione, contra Pomponatium.
Oratio De sanctissimâ Triade ad Clementem VIII.
De laudibus Leonis X.
De laudibus Philosophiæ.